

trorum pertinet habere operationem super immundos, ut Dionys. dicit, 5 cap. Eccles. Hier. (in tit. de Sacerdotum perfectionibus et in contemp.). Sed catechumeni, qui instruuntur in catechismo, et energumeni, qui purgantur in exorcismo, computantur inter immundos, ut ibid. Dionys. dicit (et cap. 3). Ergo catechizare et exorcizare non pertinet ad officium sacerdotis, sed potius ministrorum.

2. Præterea, catechumeni instruuntur de fide per sacram Scripturam, quæ in Ecclesia per ministros recitatur; sicut enim per lectores in Ecclesia legitur vetus Testamentum, ita etiam per diaconos et subdiaconos legitur novum. Et sic ad ministros pertinet catechizare. Similiter etiam exorcizare, ut videtur, ad ministros pertinet; dicit enim Isidor. in quadam epistola (refertur in dist. 15, cap. Perlectis, et dicitur esse in epist. ad Ludifred.): Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos et catechumenos in exorcismo imponere; non ergo pertinet ad officium sacerdotis, catechizare et exorcizare.

3. Præterea, catechizare idem est, quod docere, et hoc idem est, quod perficere, quod ad officium Episcoporum pertinet, ut dicit Dionys., 5 cap. Eccles. Hierar. Non ergo pertinet ad officium sacerdotis.

Sed contra est, quod Nicolaus P. dicit (Refertur de Consecr., dist. 4, cap. Catechismi): Catechismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscujusque Ecclesie fieri possunt. Unde Gregor. etiam super Evang. dicit (hom. 29 in Evang., ante med.): Sacerdotes, cum per exorcismi gratiam manus credentibus imponunt, quid aliud faciunt, nisi quod dæmonia ejiciunt?

Respondeo dicendum, quod minister comparatur ad sacerdotem, sicut secundarium et instrumentale agens ad principale, ut indicat ipsum nomen ministri. Agens autem secundarium non agit sine principali agente, sed cooperatur principali agenti in operando. Quanto autem potior est operatio, tanto principale agens potioribus indiget instrumentis seu ministris. Potior autem est operatio sacerdotis, in quantum confert ipsum sacramentum, quam in præparatoriis ad sacramentum. Et ideo supremi ministri, qui dicuntur diacones, cooperantur sacerdoti in ipsa collatione sacramentorum. Dicit enim Isidorus quod ad diaconem pertinet assistere sacerdotibus, et ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo, scilicet, in chrismate, patena et

calice. Inferiores autem ministri cooperantur sacerdotibus in his, quæ sunt præparatoria ad sacramentum, sicut lectores in catechismo, et exorcistæ in exorcismo.

Ad 1 ergo dicendum, quod super immundos ministri habent operationem ministerialem et quasi instrumentalem, sed sacerdos principalem.

Ad 2, dicendum, quod lectores et exorcistæ habent officium catechizandi, et exorcizandi, non quidem principaliter, sed sicut in his sacerdoti ministrantes.

Ad 3, dicendum, quod multiplex est instructio, una conversiva ad fidem, quam Dionysius tribuit Episcopo (cap. 2 Eccles. Hierar., art. 2), et potest competere cuilibet prædicatori, vel etiam cuilibet fidei. Secunda est instructio, qua quis eruditur de fidei rudimentis, et qualiter se debeat habere in susceptione sacramentorum, et hæc pertinet secundario quidem ad ministros, principaliter autem ad sacerdotes. Tertia est instructio de conversatione christianæ vitæ, et hæc pertinet ad paternos. Quarta est instructio de profundis mysteriis fidei, et perfectione christianæ vitæ, et hæc ex officio pertinet ad Episcopos.

In hoc articulo nihil addendum occurrit his, quæ de ministris sacramentalium in genere supra tractata sunt, præter ea quæ in sequenti disputatione morali de ministro hujus sacramenti dicemus.

DISPUTATIO XXXI.

DE MORALI DOCTRINA AD SACRAMENTUM BAPTISMI PERTINENTE.

Hæc sola disputatio superest de baptismi sacramento. Hactenus enim institutionem, essentialiam, causam, effectus, et accidentia, seu proprietates ejus explicuimus. Dicendum ergo superest de præceptis, quæ ad hoc sacramentum spectant, et quando vel quomodo contra illa peccetur, et quænam Ecclesiasticæ pœnæ propterea imponantur. Ad hæc enim capita tota hæc doctrina moralis revocatur. Præcepta autem hujus sacramenti possunt vel ad dantem, vel ad recipientem pertinere; nam hæc duæ personæ sunt per se necessariae ad usum hujus sacramenti, nam de susceptore, qui ex usu Ecclesie in solemnibus baptismis requiritur, satis dictum est supra, q. 67, art. 8; dicemus ergo prius de suscipiente sacramentum, deinde de ministrante, ac denique de iis

quæ utrique sunt communia, ac de mutua eorum obligatione inter sese.

SECTIO I.

Utrum jure divino teneantur homines baptizari.

1. Ratio dubitandi esse potest, quia, licet Matthæi ult. præceptum sit Apostolis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, tamen aliis non est præceptum, ut baptismum reciperent; potest autem optime unus obligari ex præcepto ad dandum, quamvis alter non obligetur ad recipiendum, ut patet de elemosyna, et de restitutione. Potest enim subintelligi conditio in illis verbis, *baptizantes eos*, scilicet, si ipsi consenserint, vel baptizari voluerint. Unde addens Christus Dominus Marc. ult.: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, solum postea dixit: *Qui non crediderit, condemnabitur*, et non dixit: *Qui non baptizatus fuerit*, indicans, baptismum non ita esse simpliciter præceptum, sicut fidem. Unde potest hoc confirmari, quia per fidem vivam potest quis justificari ante baptismum; postea ergo non indigeat baptismo, cum non indigeat effectu ejus, et cæremonia exterior non sit per se præcepta, sed propter effectum.

2. Est præceptum suscipiendi baptismum jure divino. — Dico primo: jure divino imposuit esse hominibus præceptum suscipiendi baptismum aquæ. Est certa conclusio et communis Theologorum, D. Thom. supra, q. 68, art. 1, et in 4, d. 4, q. 3, art. 3, quæstiunc. 2, et idem tenent alii Theologi; Rich., art. 2, quæst. 3; Gabriel, quæst. 2, art. 3, dub. 1; Bonavent., dist. 6, art. 2, q. 2; Palud., q. 4; Soto et alii, et Adrianus, in materia de baptismo, quæst. 5; colligitur ex Concil. Trident., sess. 7, can. 5 de Baptismo, ubi anathematis damnat, dicentes, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem. Ubi licet non aperte declaret, an de necessitate medii, vel præcepti loquatur, tamen etiamsi sit sermo de necessitate medii, in illa omnino continetur necessitas præcepti, respectu adultorum, ut dicemus; et cum Concilium negat baptismum esse liberum, manifestum est, libertatem ibi opponi præcepti obligationi. Deinde colligitur hæc veritas ex illo Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. Primo quidem quia omnia media necessaria ad salutem, quatenus sunt in potestate et voluntate nostra, cadunt sub præceptum. Nam per observatio-

nem præceptorum vitam æternam consequimur, juxta illud Matth. 19: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Nihil ergo est, quod magis sub præceptum cadat, quam medium illud, sine quo vita æterna obtineri non potest, quantum in nostra est positum voluntate et potestate. Ex qua ratione intulerunt aliqui, hoc præceptum præter institutionem baptismi non esse positivum, sed naturale, consequens ipsam institutionem ex vi charitatis, qua homo obligatur curam gerere suæ salutis spiritualis, et uti mediis institutis ad consequendam vitam æternam. Sed hoc non recte dictum est, quia ex vi solius institutionis poterat quidem baptismus esse utilis ad abundantiorum gratiam, et ad majorem securitatem salutis comparandæ, tamen ex hoc præcepto non esset necessarius simpliciter ex obligatione charitatis, quia non tenetur homo, aut certiora, aut utiliora media salutis assumere ex vi solius charitatis propriæ, nisi aliunde sint præcepta, vel necessaria. Hæc ergo obligatio charitatis supponit aliam necessitatem priorem medii, quæ in præsentem intelligi non potest ex sola natura rei, nec sine priori aliquo præcepto positivo. Unde argumentor secundo in hunc modum: nam adultus etiamsi per interiorum fidem, dilectionem, et pœnitentiam justificetur, adhuc est illi necessarius baptismus necessitate medii ad ultimam salutem, ita ut si voluntarie illum negligat, salvari non possit, ut constat ex supra dictis de necessitate medii; sed hæc necessitas oriri non potuit, nisi ex speciali præcepto positivo; ergo. Probatior minor, quia postquam homo justificatus est, non potest impediri ab ultima salute consequenda, nisi ratione alicujus peccati, quia, si gratia non amittatur, infallibiliter perducimur ad vitam æternam; amitti autem non potest, nisi per peccatum; omissio ergo voluntaria baptismi non potest, vel gratiam prius obtentam tollere, vel consecutionem vitæ æternæ impedire, nisi ipsa peccatum sit; non potest autem ipsa esse peccatum, nisi sit contra præceptum, ut per se constat; ergo de primo ad ultimum, ut baptismus sit adultis medium necessarium ad salutem, oportet ut illis sit præceptum. Dices, illam necessitatem non oriri ex præcepto, sed ex voto baptismi, quod homo per contritionem habuit, ut justificari posset. Sed hoc frivolum est, quia hoc votum non est intelligendum (ut nomen sonat) per modum promissionis, qua homo se voluntarie obliget ad baptismum suscipiendum, tum quia ficta

est, et inusitata talis promissio; imo (ut supra dictum est) interdum potest haberi hoc votum implicitum sine cogitatione vel cognitione baptismi, sine qua esse non potest promissio propria voluntate facta; tum etiam quia de ipsamet promissione inquiri, an sit præcepta, necne; nam si non est præcepta, omitti poterit sine peccato, et sine illa poterit homo habere dilectionem veram et contritionem, et ita poterit justificari sine voto baptismi, et tolletur necessitas medii; si autem dicatur de illa datum esse præceptum, multo verius et facilius dicetur, datum esse hujusmodi præceptum de ipso baptismo suscipiendo, quia hoc immediate et per se pertinet ad necessitatem baptismi, non aliud. Votum ergo illud nihil aliud est, quam propositum suscipiendi baptismum, quod propositum ideo necessarium est, quia baptismus est præceptus ut medium necessarium. Non ergo oritur illa obligatio ex voto, sed potius votum est de obligatione implenda, et ideo necesse est, illud includi in contritione, quia supponit obligationem; nam si hæc non supponeretur, posset homo habere contritionem sine tali proposito, imo cum contraria voluntate non faciendi quidquid præceptum est; quod enim licet non facere, licet etiam velle non facere; et ideo voluntas illa non esset contraria veræ dilectioni ac contritioni, et ideo necessarium est præceptum, ut tale votum ex necessitate in contritione includatur. Ex quo ulterius concludi potest hoc præceptum tale esse, ut obliget sub mortali, quandoquidem voluntaria ejus omisio talis est, ut excludat hominem a regno cælorum, juxta verba Christi Domini superius citata; et ratio est, quia hoc præceptum est de re ad salutem necessaria, seu tale est, ut constituat rem ad salutem necessariam. Quocirca, sicut Christus Dominus dixit: *Qui non crediderit, condemnabitur*, ita de adultis dicere potuisset: *Qui sine baptismo voluntarie mortuus fuerit, condemnabitur*, quia sine dubio æque verum est, et licet Christus Dominus id tacuerit, non tamen negavit: tacuit autem, vel quia ex priori membro id satis colligi poterat, nam cum damnandus dicitur, qui non crediderit, non solum intelligendum est de illo, qui nullo modo credit, sed etiam de omni illo, qui non crediderit fide viva; qui autem voluntarie baptismum omittit, jam non credit fide viva; vel certe id tacuit Christus, ut significaret posse hominem salvari per internam dispositionem absque reali susceptione baptismi, quando non voluntas, sed neces-

sitas illam excludit, quod optime stare potest cum præcepto, quia tunc impotentia culpam excusat. Quando ergo Christus præcepit Apostolis, ut omnes gentes baptizarent, implicite aliis præcepit, ut baptizarentur, sicut præcipiendo Apostolis, ut alios docerent, præcepit aliis, ut audirent et crederent. Nec vero hæc obligatio suscipiendi baptismum sine fructu est, etiam post gratiam et justitiam per contritionem obtentam. Primo quidem quia ipsa gratia sacramentalis, et totius pœnæ et omnis culpæ remissio, et major securitas ac certitudo, sunt fructus magni momenti, propter quos omnes poterat merito præcipi baptismi susceptio. Deinde character baptismalis non imprimitur per interiorem contritionem absque reali susceptione sacramenti. Est autem hic character in lege nova necessarius, ut homo sit capax aliorum sacramentorum, et fructuum eorum. Denique sacramenti hujus susceptio est solemnis professio fidei, per quam fideles configurantur Christo, ejusque corpori Ecclesiæ aggregantur et subjiciuntur, quam professionem oportuit fieri certo aliquo sensibili signo, ut fieret humano modo, et constanti, et omnibus manifesto.

3. *Præceptum baptismi suscipiendi omnibus hominibus positum est. — Apostolos ac beatissimam Virginem hoc præceptum obligavit.* — Dico secundo: hoc præceptum baptismi omnibus hominibus positum est, unde, quantum est ex se, ex quo latum est, omnes obligat, qui sunt capaces præcepti. Est certa conclusio, in quo differt hæc a lege circumcisionis; illa enim uni tantum populo data est, hæc vero universo mundo, quod constat ex generalitate verborum Christi: *Nisi quis renatus fuerit, et: Baptizantes omnes gentes*. Et ratio est, quia regnum Christi et Ecclesia ejus futura erat catholica, universalis, et per universum mundum diffundenda, et ideo sicut omnibus hominibus præcipitur fides Christi, et conjunctio cum Ecclesia, extra quam non est salus, ita etiam omnibus præcipitur professio christianæ fidei, quæ fit in baptismo. Atque hinc sequitur primo, hanc legem, quantum est ex se, obligasse etiam illos homines, qui eo tempore vivebant, quo Christus hanc legem tulit, quantumvis essent justi et sancti; obligavit itaque Apostolos, et beatissimam etiam Virginem, quia omnibus necessarium fuit, uniri Ecclesiæ, prout a Christo instituebatur, et subdi jurisdictioni ejus, et fieri capaces aliorum sacramentorum ejus, et ideo omnibus

est impositum hoc præceptum, quamvis jam non esset illis necessarius baptismus ad peccati remissionem. Sequitur secundo, obligare hoc præceptum infideles omnes; est enim a Christo datum, qui potestatem habuit excellentiæ, ad obligandos omnes, et verba legis ad omnes diriguntur; quomodo autem hæc lex et obligatio illis applicetur, et an invincibiliter ignorari possit, in materia de fide tractatur; eadem enim ratio, quoad hoc, est de baptismo, quæ est de ipsa fide, præsertim de fide explicita Christi et Trinitatis, prout nunc est in lege gratiæ necessaria. Hinc vero obiter ulterius sequitur, nullum hominem, proprii arbitrii capacem, posse juste aliqua humana potestate impediri, quominus baptizetur, si velit. Itaque et filius invito parente, et servus invito domino, et quilibet privatus homo invito suo principe seu republica baptizari potest, et graviter contra præceptum Christi delinquit, qui eum tentat impedire, ipseque jus habet se defendendi, si possit; imo et Ecclesia habet etiam potestatem defendendi illum ex vi illorum verborum: *Docete omnes gentes, baptizantes eos; et illorum: Pasce oves meas; sed de hoc latius dixi in materia de fide.*

4. *Hoc præceptum non obligat parvulos ante usum rationis, neque parentes nisi instante necessitate.* — Tertio sequitur ex dictis, hoc præceptum per se et directe non obligare parvulos ante usum rationis, quia pro ea ætate non sunt capaces præcepti; inquiri vero potest, an obliget parentes, aut alios, qui curam gerunt infantum, ad baptizandos illos. Respondetur primum, instante necessitate vel periculo mortis ipsius infantis, saltem obligari ad hoc ex lege charitatis, misericordiæ, et pietatis, qua tenetur parens subvenire filio indigenti, et recte illum instituere, seu disponere, etiam in iis, quæ ad salutem animæ spectant. Deinde etiam ex vi legis baptismi existimo ad hoc teneri parentes, quia materia hujus legis communis est infantibus et adultis, et ideo ad omnes extendi debet obligatio eo modo, quo potest; infantes autem, sicut non habent pro tunc ullam voluntatem, nisi paternam, ita per illam obligantur ad baptismum, quatenus ipsi parentes obligantur ad baptizandos illos; sicut olim lex circumcisionis obligabat parentes ad circumcidendos infantes. Præterea, si infantes sint filii christianorum, tenentur pastores Ecclesiæ ex officio, et ex justitia, ad baptizandos illos, saltem in prædicta necessitate, ut constat

sufficienter ex supra tractatis de ministris sacramentorum in genere. At vero extra casum necessitatis, et stando in solo jure divino, non videntur obligari parentes hoc præcepto baptismi ad baptizandos suos filios tempore infantiae. Et idem videtur dicendum de tota Ecclesia respectu suorum membrorum, quia hoc non continetur in substantia ipsius præcepti. Non enim determinat tempus vel ætatem, in qua dandus, vel suscipiendus est baptismus, sicut determinabat lex circumcisionis. Rursus, cum hoc præceptum sit affirmativum, non obligat pro omni tempore, sed solum tempore opportuno, vel moraliter necessario, ut explicabimus sectione sequenti. Tempus autem infantiae, secluso periculo mortis, non videtur ex se adeo necessarium, ut ex vi solius divini juris obligetur Ecclesia ad baptizandos homines tempore infantiae, nec possit licite baptismum differre usque ad ætatem adultam. Quod videtur olim fuisse in consuetudine in aliquibus locis; nec video rationem, aut auctoritatem sufficientem ad asserendum talem consuetudinem esse contrariam juri divino, quamvis contraria melior sit, ut supra tradidimus. Unde ex consuetudine Ecclesiæ, et præcepto ejus recte possunt parentes christiani, ad baptizandos infantes suos ante adultam ætatem obligari, quia res est justa, et bono communi satis expediens, et ipsi sunt subditi jurisdictioni Ecclesiæ. Et ita existimo, saltem consuetudine ipsa, introductum esse hoc præceptum, eo vel maxime, quod seclusa gravissima causa non posset sine magno scandalo hæc consuetudo violari. Parentes autem non baptizati, cum non sint Ecclesiæ subditi, non obligantur hoc particulari præcepto.

5. *Quando hoc præceptum obligare cæperit.* — Ultimo occurrebat hoc loco tractandum, quando cæperit hoc præceptum universum mundum obligare, sed quia hæc quæstio generalis est de tota lege nova, illam relinquo in materiam de legibus. Mihi tamen semper placuit D. Bernardi sententia in epist. 77 ad Hugonem, et Hugonis, in lib. 4 de Cæremoniis et officiis Ecclesiast., cap. 43, et in Summa sentent., tract. 5, cap. 2, scilicet, hoc præceptum non obligasse universum mundum ante sufficientem Evangelii promulgationem, quæ comprehendit sufficiens tempus, et diligentiam, ac publicationem præcepti de se sufficientem, ut posset notitia ejus ad omnes mundi homines pervenire, quia nec obligatio legis aliter prudenter imponeretur, neque

esset hominibus accommodata, quia non solum ex accidenti, sed per se, esset impossibilis ejus notitia; secluso enim miraculo, per se repugnat, legem uno tantum loco divulgatam, eadem hora, vel die in notitiam totius orbis devenire. Non est ergo humanum hoc modo universos homines aliqua lege obligare, neque esset prudens providentiæ genus, præsertim in lege introducente novum remedium necessarium ad salutem, et antiqua remedia irritante, quia non posset non afferre multis necessitatem quandam pereundi absque remedio salutis, præsertim infantibus. Adde nullum aliud tempus convenienter assignari posse, nam quod quidam dicunt, die resurrectionis, vel ascensionis cœpisse hanc legem obligare omnes, quando Christus dixit Apostolis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, non est verisimile, quia tunc Christus non promulgavit hanc legem, sed solum instruxit Apostolos, eisque præcepit, ut illam promulgarent et executioni mandarent. Quod vero alii dicunt, hanc universalem obligationem cœpisse in die Pentecostes, nullum etiam habent sufficiens fundamentum, quia, neque eo die legimus factam hanc universalem promulgationem; aut enim hæc intelligitur facta in solo ipso adventu Spiritus Sancti solemniter et publico, aut in prædicatione Petri; nulla enim alia actio eo die facta est, quæ possit vim promulgationis habere; sed in neutra earum actionum facta est talis promulgatio, nam per solum adventum Spiritus Sancti, et omnia signa, quæ in illo facta sunt, nihil potuit mundus percipere aut intelligere de tali lege, ut per se constat; ergo per illud solum mysterium non est facta promulgatio sensibilis et humana. Neque enim facta est per prædicationem Petri, quia neque ipse tunc direxit sermonem suum ad universos homines, sed ad Judæos et Israelitas, ut patet ex illis verbis, Act. 2: *Viri Israelitæ audite verba hæc; et illis: Vobis enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus, qui longe sunt, quoscumque advocaverit Deus noster*, quæ posteriora verba possunt intelligi, vel de Judæis ubique diffusis, vel certe de quibuscumque hominibus, quos Deus vocare dignaretur, de quibus Petrus nihil tunc satis cognoscebat. Cujus rei argumentum sufficiens sumitur ex cap. 10 Act., ubi Petro facta est specialis revelatio de baptizandis gentibus; non est ergo verisimile, ipsum voluisse in prima illa prædicatione promulgare baptismi legem omnibus gentibus; non ergo fuit illa

universalis et integra promulgatio, sed solum inchoatio quædam promulgationis paulatim perficiendæ.

SECTIO II.

Quomodo possit determinari certum tempus humanæ vitæ, pro quo obliget hoc præceptum baptismi.

4. *Duobus modis potest determinari tempus quo præceptum aliquod obligat.* — Supponimus ex præcedenti sectione sermonem esse de adultis, qui in seipsis hac lege obligantur, nam de parvulis jam satis dictum est. Ratio autem dubitandi est, quia præceptum affirmativum, quale est hoc, de quo agimus, licet obliget semper, non tamen pro semper, et ideo difficile est assignare temporis articulum, pro quo definite obliget, quando ipsa lex illum non determinat, ut in præsentem contingit. Duobus autem modis fieri solet hæc temporis determinatio in observatione alicujus præcepti divini affirmativi. Primo, privata auctoritate per solam prudentem et sapientem interpretationem divinæ legis, quomodo interpretamur, præceptum credendi obligare hominem ad credendum statim ac illi sufficienter proponuntur res fidei. Secundo per publicam Ecclesiæ auctoritatem et potestatem, quæ præcepto divino adjungit aliud humanum, determinans tempus, in quo divinum servandum est, quomodo divina lex de confessione peccatorum, vel de sumenda Eucharistia determinatur ex præcepto Ecclesiæ, ut semel in anno, vel tempore paschali servetur; et de utroque modo dicendum est.

2. Circa priorem tria sunt tempora, de quibus potest esse controversia. Primum est, ipsum initium, seu status usus rationis, supposita sufficiente cognitione baptismi, et juxta hoc obligabitur unusquisque ex vi hujus legis, ut baptismum recipiat statim ac commode potest, supposita baptismi propositione et cognitione. Secundum tempus erit ultimum vitæ tempus, seu periculum. Tertium erit aliquod tempus intermedium. Ex his autem hoc ultimum videtur maxime indeterminatum, et æque incertum, quia non est major ratio de uno die, mense, aut anno, quam de alio. Primum autem tempus quamvis opportunissimum sit, et ideo maxime consulendum, non tamen videtur posse sufficienti ratione probari, statim pro illo tempore obligare hoc præceptum, quia non obligatur homo ad id, quod optimum est, nec cætera

affirmativa præcepta statim obligant, ut constat de præcepto pœnitendi seu confitendi post peccatum commissum. Tunc enim per annum differri potest, et seclusa Ecclesiæ determinatione, longiori tempore potuisset. Quin potius Tertull., lib. de Bap., cap. 18, consilium dicit esse differre baptismum, et nonnulla veterum Sanctorum exempla id suadent; nam D. Martinus octo annis fuit catechumenus, et baptismum distulit; et Ambros., quando in Episcopum electus fuit, nondum erat baptizatus. Videtur ergo solum ultimum tempus, id est, vitæ terminum, seu periculum, esse illud, pro quo per se loquendo obligat hoc præceptum. Quod potest confirmari, primo, quia præcepta affirmativa solum obligant pro tempore necessitatis, teste D. Thom. in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 4, quæstiunc. 1; sed nullum aliud tempus potest vere dici tempus necessitatis baptismi; ergo tantum pro illo obligat. Secundo, quia etiam videtur illud tempus maximæ commoditatis; nam per baptismum remittuntur omnia peccata, quoad culpam, et omnem pœnam; quod non semper fit per sacramentalem confessionem absque laborioso pœnitentiæ baptismo, ut dixit Greg. Naz., orat. 40; ergo magnum commodum est differre baptismum usque ad finem vitæ, quando jam homo vix post baptismum susceptum peccare possit, ut hoc modo purior et innocentior ex hac vita decedat.

3. *Cum primum quis commode potest, tenetur baptizari.* — Ad argumenta D. Thom. — Ad exempla Martini, et Ambrosii. — Dicendum nihilominus est, hoc præceptum obligare hominem, et moraliter loquendo, quam primum digne et commode possit, baptismum recipiat, vel saltem, ut non multo tempore hoc differat. Et ideo dixi, moraliter loquendo, quia in hujusmodi rebus non est postulandum, ut temporis articulus indivisibiliter designetur. Atque sic intellecta conclusio sumitur ex doctrina Sanctorum, Basilii, hom. 13 ex variis; Nazianz., orat. 40 de S. Baptismo; Chrys., hom. 1 in Acta, circa finem, et hom. 13 ad Hebr., et habetur in cap. Quando quis, de Consecr., dist. 4, ubi graviter reprehendit eos, qui usque ad mortem baptismum differunt, ut liberius peccent, et tunc plenam remissionem consequantur. Ratione potest probari primo hæc opinio ex fine hujus sacramenti. Quamvis enim institutum sit ad remittenda peccata, tamen per se primum est ad peccatum originale tollendum, et

ad regenerandum hominem in Christo, et ad constituendum eum membrum Ecclesiæ Christi, ut sit capax aliorum sacramentorum, et fructus sacrificii, et obedientiæ seu subjectionis jurisdictioni Ecclesiæ. Sed hæc omnia talia sunt, ut per se pertineant ad totum tempus et statum lujus vitæ, et ut sint moraliter necessaria ad spiritualem vitam hominis; ergo ex fine et institutione baptismi satis constat, præceptum ejus statim obligare modo explicato; voluit enim Christus fideles suos in hac vita in una visibili republica seu Ecclesia congregare, una fide, sub uno capite, in eorundem sacramentorum usu et fructu, ad quam voluit ingressum patere per baptismum; ergo consequenter etiam voluit hujusmodi ingressum fieri statim a principio vitæ, moraliter loquendo. Et confirmatur, nam si in ultimum vitæ tempus reservetur, magna ex parte frustratur sacramentum sine suo; de tempore autem intermedio, recte procedit argumentum supra factum, nullam esse majorem rationem de una parte illius, quam de altera; relinquatur enim solum prædictum tempus posse rationabiliter determinari. Unde confirmatur tertio, quia illud non solum potest dici tempus commoditatis, sed etiam ejusdem moralis necessitatis, quæ non est in omnibus affirmativis præceptis eadem postulanda, sed proportionalis, juxta uniuscujusque materiam et finem. In præsentem ergo magna est necessitas ingrediendi Ecclesiam, et vitam spiritualem gerendi in illa, et fruendi sacramentis, et influxu ejus, quæ necessitas durat toto tempore vitæ, præsertim in ætate adulta; ergo hæc satis est, ut homo statim obligetur ad hanc spiritualem regenerationem. Quarto, homo statim tenetur credere, et suscipere fidem sibi sufficienter propositam, quia est vitæ spiritualis fundamentum; ergo similiter tenetur statim hoc fidei sacramentum suscipere, et in eo suam fidem solemniter profiteri. Probatum consequentia, tum quia non solum obligatur homo, ut interius credat, sed etiam ut exterius fidem profiteatur ritu publico et solemniter, quo ipsa unitas fidei demonstratur; tum etiam quia sicut fides interior est fundamentum interioris justitiæ, ita baptismus est fundamentum ejusdem justitiæ, quatenus per exteriora media comparari potest, et christianæ religionis, quatenus exterius uniri et videri potest. Unde, sicut, qui vovet ingredi religionem, quamvis non determinet tempus, tenetur ad statim ingre-